

467

465

471

461

476

456

516

416

566

366

Ende

Anfang

456

quod Brennus Sueorum dux potentissimus tempore Cyri regis Persarum, collectis Suevis, adunatis Burgundionibus et Gallis Italiam intravit et Sabinum consulem Romanum sibi occurrentem cum universo exercitu prostravit et Romanam juventutem occidit, Romanam subvertit et contra Romanos Mediolanum, Veronam, Paviam, Brixiam, Senogalliam et Senam urbem in Thuscia construxit et inde Graeciam cum exercitu petens eos vicit, et in Delum insulam Delphos et Delphicos deos visitavit, ubi eum in templis immensus aurum reperisset in ornatu idolorum, omnia tulit et deos nudatos dereliquit, unde Apollo requisitus, quid de Brenno fieret, dixit, eum et omnem exercitum ejus propter deorum spoliationem albis virginibus opprimi et extingui. Sed Brennus oraculo spreto cum spoliis revertit in Sueviam, sed cum in haec venit montana tempore solutionis nivium, globi de verticibus ruentes et ipsum Brennum et universum ejus exercitum obruerunt et extinxerunt, et isti globi nivium dicti sunt virgines albi. In hujus rei perpetuam (B) memoriam retinent montes illi nomen hoc usque in hodiernum diem et dicuntur Brenner a principe Sueorum Brenno. Igitur post longum et taediosum intra montes transitum descendimus, tandem autem post longum descensum occidente sole in Mattar, villa grandi, hospitati pernoctavimus.

De Pontina.

Vigesima quarta die sumto jentaculo in Mattara recessimus et in montana, quae dicuntur Schönberg, ascendimus per vias obliquas et taediosas propter circuitiones vallium profundissimarum. Circa meridiem autem de illis montanis descendimus contra amplissimam vallem Inis, quae et amoena et delectabilis est nimium et fructuosa, in qua vidimus de montibus perspicientes duas civitates, scilicet Pontinam et Hallam, et villas magnas civitatibus aequales, et per medium aulonem decurrentem Inum, fluvium navigabilem. Descendimus ergo ad imum vallis et prope Pontinam ad monasterium venimus, Wilta nominatum, ordinis Praemonstratensium de observantia, magnum et abundans, in quo vidi quadam alia vice tot vasa aurea et argentea in sacristia pro reliquiis et in abbatia pro mensis, quod ammirabar. In sacristia inter multa

